



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

10. Osneggvm Francis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

9. CONTVDIT ILLE SEMEL. &c. Clade scil. Varianâ, quâ factum est, ut Germania mox magis turpiter amissa sit, quàm gloriose acquisita, atque imperium, quod in litore Oceani non steterat, in ripâ Rheni fluminis staret. Flor. l. 4. c. 12. nec stabilem deinceps Romani ad Luppiam & Visurgim figere pedem potuerunt.

10. OSNEGGVM FRANCIS. Eginhart. in vita Caroli. Semel juxta montem, qui Osnegge dicitur, in loco Thiermelle nominato. Cranc. l. 2. Sax. c. 4. Recitatis his verbis, mox subdidit: ita scribunt Galli proprietatem linguæ non tenentes. Atqui Eginhartus Germanus fuit, rectiusque montis nomen, quod Crancius *Asneggi* vocat, expressit; Ità enim scriptum legitur in diplomatis Caroli M. de quodam nemore in silvâ *Osninge* Guihoni Osnabrug. Episcopo in perpetuum proprietatis usû donato. Ottonis M. An. 965. de eodem apud Ertwinum in Chron. Osnabr. S. Heinrichi regis, quo An. 1002. regni sui. Incendio Paderbrunnensis Ecclesie miserabili condolens, & petitioni fidelis sui Retharij venerabilis Episcopi annuens, in supplementû Ecclesie, in jus concessit, & per regale præceptû corroboravit, forestum, quod incipit de Lutherâ flumine, & tendit per Osning & Sinidi usque in viam, quæ ducit ad Horihusam. Præterea in literis An. 1153. & 1338. datis mentio fit silvæ *Osnine*, prope quam prædium *Kivewinchusen* dictum, & *Montanorum*, quæ *Osnine* appellantur. Fuit igitur *Osnegge*, *Osning*, *Osninge*, *Osnine* nomen ejusdem saltûs, quem *Teutoburgiensem* Tacitus vocavit, & non pauca, nec obscura antiqui nominis vestigia, tum in tractu vicino Osnabrugæ, forsan prius *Osninebruchteria*. Moller. in descript. Rheni lib. 5. tum prope Dethmoldiam alibique supersunt. Nam vallis, quâ illuc ex *Sinedi* deserto itur, *Ossenthal*, quasi *Osninthäl*, jugum seu cacumen montis Dethmoldiensis *egge*, ubi

F

Lippien.

Lippiensis silva definit, campi *Ossenkempe*, velut *Osninkempe* hodiè que vocantur.

II. An. DCCLXXXIII. Annales Francici apud Pithæum. Astronomus apud Reub. Regino in Chron. Poëta Anonym. lib. I.

FONTES LUPPIAE.

Multi fluvij diœcesin Paderbornensem irrigant, nec pauci ex his in eadem nascuntur. Præcipui & plerique in historiâ tum Romanâ, tum Francicâ & Saxonicâ nominati. Alma Aliso olim, Ambra, Amifius, Bevera, Dalca, Effata, Hedera, Luppia, Luttera, Padera, Neta & Visurgis.

I. LUPPIA. Ità apud Tacitum, & rectiùs seu magis genuinè; quia in Germanico vocabulo litera p. geminatur: apud Melam *Lupia*; Dionem & Strabonem *Λσπίας*; in Annalibus Francicis *Lippa* & *Lippia* scriptum legitur. Hanc posteriorem dialectum vulgatus scribendi loquendique usus retinuit. In Velleji exemplaribus, in quibus *ad caput Iuliae fluminis* legitur, vel mendum in *Iulia* pro *Lupia*, vel quasi in honorem *C. Iulij Octaviani flumen sic noviter appellatum*. Lips. in Vell. n. 194. Bœclerus in eund. Cluverius lib. 3. Germ. Antiq. c. 49. Verùm uti breve Augusti ad *Luppian* imperiũ fuit mox Rheno terminatum, ità quoque memoria nominis in illo flumine non diu perduravit. Nimis levis & falsa Vadiani doctissimi cæteroqui viri, qui *Luppian* fluvium esse putat, quem hodie *Neccarum* vocant, & Irenici ac Spidelij in not. in Bartolinum l. 12. Austr. *Lanum* esse suspicantium conjectura, ita ut refutatione non indigeat. Diversus enim ab utroque fluvius à capite usque